









1718

- 1<sup>a</sup> et<sup>t</sup> Freiesleben, Jo. Frieder.: *Degmina legum  
Gothiam in sole carmine denique iure naturali*
2. Hupmann, Adam Christopher: *Dissertatio inaug. iuri. Dia-  
ctis quæstiones ex iure canonico, ciuitati, publico  
etque penitenti selectas.*
3. Kunkard, Johannes Fridericus: *Receptiones libri  
firstae*
4. Meier, Johannes Henricus, *Facultatis iuridicalis  
Decanus / ad Disputationem inaug. Iusticii Augusti  
Appostoli invitat*)
5. Meier, Johannes Henricus, *Facultatis iuridicalis  
Decanus / ad Disputationem inaug. Antonii Brü-  
mii invitat*)
6. Meier, Johannes Henricus, *Facultatis iuridicalis Decanus  
(ad Disputationem inaug. Ottomis Sigismundi Mauriti  
vrae loci Venue)*

7. Meier, Johannes Henricus, Facultatis iuridicae  
decanus (ad Disputationem in ang. Chorlani Gott-  
lobi Wobstii instat)
8. Meier, Johannes Henricus, De Judicio Spoliatore  
? Saalfeld 1718. 2 v. 17x4.
9. Meier, Johannes Henricus : De jure iuris aucto libri  
sextorio judiciali
10. Meier, Johannes Henricus : De lege commissoria neas-  
tioribus artefacta.
11. Meier, Johannes Henricus : De jure auctoris imbecil-  
tioris circa omnia.
12. Pre, Johannes Fridericus, &c : De siacte nonnugescum  
or alatioriter negligita et negligenda.
13. Reinhart, Tobias Taucher : De pacto, circa hec-  
ta talem tertii, iurantibus, certi; bonis moribus

uris refragante, utique tam iure naturali quam  
monstrum humanorum, valido.

14. Schreuder, Iohannes Paulus: De iudicis ex erro-  
ne omnis prudenter aut decisio procedente

15. Steinhauer, Iohannes Gottfried: Dominis ad tor-  
torum non probantibus.

16. Streit, Iohannes Philippus, Facult. iuridicae decanus:  
b.l.s. (ad representationem mag. Iwanis Friderici  
Ponkovi*s' instat*)

17. Streit, Iwanus Philippus, Facult. iuridicae decanus:  
b.l.s. (ad representationem mag. Christiani Gottfrid  
Wilschke*s' instat*)

18. Streit, Iwanus Philippus, Facult. iurid. decanus, b.l.s.  
(ad representationem mag. Gabrielei Herzeri Tolica  
*s' instat*)

19. Skribt, Iwanus Philippus, Facult. iuridicae decanus :  
b. l. s. (ad) dispensationem in ang. Iwanus Petri Grufer  
invitas.
20. Skribt, Iwanus Philippus, Facult. iuridicae decanus  
b. l. s. (ad) dispensationem in ang. Christiani Gottlobi  
Schmidhii invitas.
21. Skribt, Iwan. Philippus : De pacto amicorum et alio  
~~amicis~~ notibus alioisque privatis monitis usitatis
22. Skribt, Iwanus Philippus : De testamento in diversis juri-  
citis invitat.
23. Trubor, Iwanus Philippus : De furci fumentariis
24. Trubor, Iwanus Philippus : De veria condonatae,  
in matrimonium postulatae personae
25. Mancius von der Venne, Otto ligiom : De jure corras  
encaenia Temporum

3030  
1718, 8a  
22  
Patt  
10

Quod DEUS felix faustumque esse jubeat!

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE

# JUDICE SPOLIATORE,

QVAM OCCASIONE

Cap. conquerente. 7. X. de Restitut. Spoliator.

IN PERANTIOVA, QVÆ ERFFORDIÆ FLORET,  
UNIVERSITATE ELECTORALI,  
INDULTU AMPLISSIMI JCOTORUM ORDINIS,  
SUB PRÆSIDIO

## DN. JOHANNIS HENRICI MEIERI,

(3)  
JCTI,

ET ELECTORAT. HUJATIS REGIM. CONSILIARIJ. JUDICII PROVINCIAL  
ASSESSORIS PRIMARII, PROFESSOR. PUBL. DECRETALIUM, NEC NON  
FACULT. JURID. SENIORIS ET P. T. DECANI,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES, PRIVILEGIA  
ET IMMUNITATES CONSEQVENDI,

In Auditorio Jctorum Majore,

Horis confvetis,

D. XIII. MART. A. O. R. M DCC XIX.


PUBLICÆ PLACIDÆ QVE ERUDITORUM CENSURÆ  
Submitte:

ANTONIUS Brühm / LANGEBRUCK. MISNIC.  
Advoc. Immatr. Dresd.

---

ERFFORDIÆ,

Stanno JOHANNIS HENRICI GROSCHII,  
Academia Typographi.



## DISSERTATIONIS CONSPECTUS:

- §. I. *Duplex est hominis Status, Naturalis scilicet & Adventitius; Naturalis vero absolute talis nunquam extitit, bene tamen temperatus.*
- §. II. *In Statu Naturali omnes homines sunt aequales, nec datur Imperium unius in alterum.*
- §. III. *Hinc resultat quidem Jus Belli, ab altero invito per vim exequendi, quod mibi debetur; sed non datur in Statu Naturali jus Puniendi, contra GROTUM.*
- §. IV. *Doctrina HOBESII de Statu Naturali est perversa, & à multis explosa.*
- §. V. *In Statu Adventitio definit aequalitas, oritur Ordo Imperantum & Parentium, adeoque cessat Jus Belli, & incipit Jus Puniendi.*
- §. VI. *In genere prohibitum: Ne quis per vim sibi ipsi jus dicat.*
- §. VII. *Defensio utriusque violentia nec in Statu Adventitio est probita.*
- §. VIII. *Quilibet in persequendis iuribus suis ad Judicem est adscriptus; Ergo hic officio suo rite fungatur necesse est.*
- §. IX. *Describitur officium Judicis.*
- §. X. *Judex officii limites excendens, & inverso ordine partibus quid eripiens, spoliator dicitur.*
- §. XI. *Transitio ad Dissertationis argumentum.*
- §. XII., XIII., & XIV. *Judicis ejusque officii conceptum evolunt.*
- §. XV. *Spoliatoris significatum exponit.*
- §. XVI. *Judex Spoliator quid denotet?*
- §. XVII. *Judex, ut spoliator non statim considerandus, si contra jus in thesi & hypothesi pronuntiat.*
- §. XVIII. *Sed quisnam Judex propriè spoliare dicatur, exponitur.*
- §. XIX. *Quod probatur per cap. Conquerente 7. X. de Resistit. Spoliat.*
- §. XX. *Casus citati textus recentetur.*
- §. XXI. *Agere de Judice Spoliatore, contra ZIGLERUM, probatur.*
- §. XXII. *Non negandum: ibidem presupponi casum, quò Judex simul Partis vices subit, & interesse ex causa haber, quod illustratur Prajudicio CARPOVII.*

§. XXXIII.


- §. XXIII. Ex idenditate tamen rationis extenditur ad casum, quo *Judex*, ut mere talis, de facto processit, etiam contra notorie injustum possessorem & *Predonem*.
- §. XXIV. *Objectioni COTH. MANNI & ROLANDI à VALLE* occurrit ex SCHWANMANNO relative, & respondetur ad alia dubia.
- §. XXV. *Judex* quoque incompetens, ut servato Juris ordine procedat, spoliare dicitur.
- §. XXVI. Quenam Juris remedia illi, qui à *Judice* spoliatus, competunt?
- §. XXVII. Circa Interdictum: Unde *Vi*, notabilis inter *Jus Civile* & *Canonicum* occurrit differentia, insimul afferitur: neque ex Cap. 18. X. de Restit. Spoliat. neque ex *Can. Redintegranda*, novum competere Remedium Juris, puta Conditionem ex *Can.* vel Imporationem Officii *Judicis*, contra MEVIUM.
- §. XXIX. Respondetur MEVIQ ex BÖHMERO relati-
- ve; sed illius sententia in Praxi obtinet.
- §. XXIX. *Judex* Spoliator vel Tertiis de fructibus quoque rei spoliatae respondere tenentur, sed cum distinctione.
- §. XXX. *Restitutio rei* spoliatae fieri debet ANTE OMNIA; Ergo nulla exceptione v. gr. *Iussus Judicis*, vel spoliatum esse manifestum predonem, impediari.
- §. XXXI. An *Rescriptum & Ius-fus Summi Principis* spoliatum liberet? Ubi *Dissensus KLOKII & GAILII*.
- §. XXXII. & XXXIII. Questio negative deciditur, & ex Capitulat. & *LL. Imperii* probatur.
- §. XXXIV. Idem obtinet, si Camera vel *Judicium Aulicum* incompetenter pronunciet, quod exemplo illustratur.
- §. XXXV. Idem de Principibus Imperii in ordine ad subditos statuendum.
- §. XXXVI. & seq. Afferuntur quedam limitationes.
- §. XXXIX. *Judex* seipius in Criminalibus committit spolia.
- §. Ult. *Actio* spoliī est annalis, nec infamat.

(§ 2) o (§ 3)



B. C. D.  
DE JUDICE SPOLIATORE.  
DISPUTATIO JURIDICA.

## S. I.



Omines in duplicitate potissimum versari statu, Naturali scilicet & Adventitio, apud omnes in confessu est, qui mentem ad accuratiora juris publici universalis principia paulo altius elevant. Quemadmodum autem nemo facile admittet: statum absolute seu mere naturalem in rerum natura unquam revera extitisse, cum, quicquid à Cl.

PUFFENDORFFIO de hocce statu passim legitur propositum, in meris hypothesis, fictionibus ac suppositis, quibus, abstrahendo à sacris historiis, ad legem socialitatis eō clarius demonstrandam, passim fuit usus, constat: Ita Naturalem statum ejusmodi temperatum dari inter homines, vi cuius inter se omnino sunt aequales, atque nullius alterius, praterquam Dei & divinarum legum, arbitrio subiecti, nemo dubitat.

## S. II.

Cum autem ex ejusmodi diverso hominum statu non possit non magna jurium enasci differentia; hinc id, quod in statu Naturali iustum, in statu Adventitio non raro de-

A 2

prehendit.

prehenditur injustum, quod exemplis non paucis, nisi res ipsa loqueretur, neque tempus institutumque præsens obicem poneret, illustrari prabatumve reddit possit. Et, ut unum alterumve saltem producamus in medium, certe constat: in statu Naturali ob æquitatem summam inter omnes homines existentem, quam quoque juxta doctrinam EMUNDI MERILLII I. Obs. 18. ULPIANUS in l. 32. ff. de Reg. Jur. ex principiis Stoicis agnovit, neminem, cui peculiare jus non est quæsumum, plus sibi, quam alius, arrogare, nec ullum alterius actionum judicem agere posse, sed pares, ut pares, omnino tractandos, ibique cessare omne imperium, omnemque contra istum, qui me offendit, atque in legem socialitatis impingit, pœnam, utut vel maxime unus praeter altero vel natura emineat, vel viribus, judicio, aut virtutibus moralibus alium præcellat, adeo ut masculus & fœmina, robustus & infirmus, virtutibus clarus, iisve destitutus, de pari procedant, tantundemque omnino valeant, hocce optime & more solito solide demonstrante CL. PUFFENDORFFIO de J. N. & G. L. §. Cap. 4. §. 14. & Cap. 3. §. 7. contra HUG. GROTIUM de Jur. B. & P. L. 2. cap. 20. §. 3.

### §. III.

Ex quo porro consequitur: quod in dicto statu Naturali cuilibet profecto jus competit, istud, quod sibi debetur, propria auctoritate, etiam per vim, ab altero invito extorquendi, alterumve, qui me forsitan lafit, ad satisfaciendum cogendi, quod tamen per modum BELLi, non POENÆ, ut in errore statuit GROTIUS, contingit, cum pœna proprie sic dicta sit pars imperii, quod in dicto statu, ubi nec Imperantes, nec Parentes cernere licet, penitus cessat, istaque belli species, quod punitivum quidam appellant, ad istiusmodi non immerito referatur entia, quæ contradictionem involvunt in Adjecto.

### §. IV.

THOMAS quidem HOBESIUS duobus istis, quos occasione Anglicanorum Tumultuum, temporibus CAROLI I. de

650

103 (5) 650

I. de CIVE & LEVIATHANE edidit, tractatibus, Statui hujusmodi hominum Naturali tam amplissimos non erubuit apere campos, ut statuerit: Justitiam vel Injustitiam in statu Naturali plane cessare, nominaque hæc, cum lege demum Civili, introductis civitatibus, pacisque cepisse & Imperio, adeoque concludit: omnem in dicto statu actionem esse indifferentem, jusque occidendi, resque alteri abripiendi ex ipsa naturæ conditione competere cuivis homini, cum rerum proprietates, quæ demum imperio Civili deberent originem, in statu Naturali penitus cessent, cunctaque ad normam appetitus & proprii interesse dirigenda veniant. Sed uti perversa hujus doctrinæ pernicies ad imas usque radices ab aliis sufficenter explosa; ita non sine attentione merentur legi, quæ Illustris HERTIUS dissertat. de Different. Jur. in statu Nat. & Adventit. Sect. 1. §. 1. eleganter & eruditiss, quæ in numerato habere consuevit, argumentis, adhac reposituit, quorsum brevitatis causa me remitto, & vel duobus saltim concludo: In statu Naturali maxime regnare jus in ipsa hominis natura fundatum, puta socialitate, ejus tamen dictaminibus, ob iram & ultiōrem divinam, quæ ob infinitam Dei misericordiam ut plurimum tarda esse solet, nec non ob deficientem pœnæ temporalis metum, ab hominibus depravatis rarissimum præstari obsequium.

S. V.

Illud tamen exinde indubitatum est, quod status ejusmodi Naturalis maxime turbidus existat, securitatis sapientia numero expers; DN. BÖHMER. Intr. in Jus Publ. Univers. Part. Spec. L. 2. Cap. 7. §. 2. tit. 5. quæ tamen omnia secus se habent in statu Adventitio seu Civili, qui introductis civitatibus ortum nactus est. Cum enim ibidem ordo Imperantium & Parentium coepit, cessavit omnino ista absoluta inter homines aequalitas, atque, ut vigor legum eo magis subsistere, ac pax Reipublicæ interna inter cives conservari possit, Judicia constituta sunt, quibus introductis, naturalis illa, quæ in primævo statu obtinuit, libertas, omnia per vim propria- que auctoritate agendi, in tantum cessavit, ut, recte monen-

A 3

te



te DN. BÖHMERO supra citato loco §. n. ista, quæ tunc lici-  
ta erant, jam in crimina omnino punienda incident.

## S. VI.

Atque ex hoc fonte promanarunt tam varia & laudabili-  
les Imperatorum Pontificumque Constitutiones, quarum sin-  
gulae in hoc demum centrum coincidunt: Ne quisque per  
vim sibi ipsi jus dicat, remque, ad quam forsan jus aliquod  
prætendit, propria auctoritate alteri afferat, sed Judicem  
adeat, atque ejus auctoritate illud prosequatur ac protegat.  
Nihil enim, inquit CICERO Lib. III. de LL. civitati exitiosus,  
nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum,  
quam composita & constituta Republica quicquam agi per vim. Et  
cum egregia emphasi à MARCO Cæsare in l. 7. ff. ad L.  
Jul. de vi publ. rescriptum legitur: Tu vim putas esse & solum, si  
homines vulnerentur? Vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi  
putat, NON PER JUDICEM reposit. Idem quoque à HO-  
NORIO & THEODOSIO Imperatoribus in L. Nullius 14. C.  
de Judeis propositum est: Idcirco, dicunt, judiciorum vigor, ju-  
risve Publici tutela in medio constituta, ne quisque sibi ipsi permettere  
valeat ultionem. Quamobrem non leves in illos, qui propriâ  
auctoritate creditum per vim exigunt, vel rem eripiunt, fla-  
tutæ inveniuntur poenæ, in l. extat. 13. ff. quod metus causâ, & l.  
7. C. unde vi, quorum textuum usum forensem ex LL. Ger-  
manicis non solum egregie illustravit DN. SCHILTERUS  
Exerc. ad ff. XI. §. 13. seqq. sed quoque de ipsorum observantia  
in nostro Imperio ex ORDINAT. WORMATIENSI CA-  
MER. de anno 1521. Rubr. Wie es in Errung der Possession, §. und  
ob sich ja zu Zeiten / & RECESS. IMPER. RATISBONENSI  
de anno 1532. Rubric. Cammer. Gericht betreffend / §. 15. abunde  
constat. Sicut quoque de Tribunali Wismariensi testatur  
MEVIUS P. i. Dec. 9. nec non de Camera Electorali Bran-  
denburgica STRYK. us. mod. ff. tit. quod met. cauf. §. 9. cum e-  
contra in Gallia, Hispania, Belgio, & Saxonia saluberrimæ  
hae constitutiones, quadantenus quoad poenam Jure Roma-  
no in transgressores statutam, ab usu recesserint, teste IM-  
BERTO in Enchirid. Jur. Gall. Voc. Panæ pecuniaræ explosæ, &  
CHRI-

BST.

53 (7) 60

CHRISTINÆO Vol. 3. Dec. 15. num. 10. juncta Glossa in  
Sächsl. Weich. Bild Art. 29.n. 9.

§. VII.

Cum itaque ex his abunde constet: in prosequendis juribus rebusve nostris in statu Adventio adeundum esse judicem , eumque pro administranda justitia semper implorandum , istud quidem eousque non itatim extendendum , ut privata defensio , tam quoad vitam , quam quoad bona & jura , subdito omnino sit denegata . Hanc enim , utut violentam , tam de Jure Naturæ , quam Civili impune cuilibet concessam legimus , l. 7. §. 3. ff. quod vi , aut clam , junctâ l. 3. ff. de J. & J. ut etiam illi , quod vi aut clam in ipsius fundo inadiscutatum , privato ausu omnino destruendi licentia indulta sit in l. 5. §. 10. ff. de nov. oper. nunciat. atque ipsi Judici per vim & iniuritatem procedenti resistere liceat , l. 5. C. de Jur. Fisci , l. 5. de Execut. l. f. C. de Discuss. Siquidem vis saltēm injusta , defensio vero nunquam , cum fine rerumpublicarum pugnare , atque prohibita censetur . Idemque in omnibus istis casibus obtinet , ubi vel periculum in mora , vel Judicis copia statim haberri non potest , e. gr. temporibus iustiti. Cum enim ita quodammodo cessent judicia , naturalis resuscitatur libertas , vi cuius cuilibet etiam violentam juris sui persecutionem indultam esse , ex supra dictis abunde constat.

§. IIX.

Quo magis autem quilibet ad Judicem ita adstrictus , & à propria vindicta alienus esse debet , eō maiores profecto erunt Jūdicis partes , ut finis , propter quem judicio præpositus , per ipsum non tam impediatur , quin potius , quantum fieri potest , promoveatur & obtineatur . Idque aliter contingere nequit , quam si officio suo , quoad omnes partes , rite fungatur , eique satisfaciat , quem in finem de Juſtitia recte administranda juramentum communiter ab iisdem solet exigī , quod quidem non præcise de essentia , tamen antiquissimum esse , probat DN. BÖHMER. *Introd. in Jus Publ. Univ. Part. Spec. L. 2. Cap. 7. §. 15.*

§. IX.



## §. IX.

Sicut autem generatim dictum Judicis officium, omnem ejus actionem, ad normam legum attemperatam, denotat, ac in sensu paulo presiori ejusmodi actionem Judicis designat, quatenus ad normam aequitatis Naturalis est composita, etiam si expressa formula præscripta hoc non jubeat, nec litigantes id urgeant, nec in obligatione expresse eâ de re cautum sit, Dn. BÖHMER. in *Jur. Ecclesiast. L. 1. tit. 32. §. 2.* Confer. l. 7. ff. de *Neg. Gesl. l. 49. inf. ff. de Act. Empt. Vend. l. 25. §. 8. ff. de *Ædil. Edit. juncto Cap. 10. X. de Purg. Canon.** ex quo duplice significatu decantata quoque Judicis officii distinctio inter Nobile & Mercenarium oborta videtur, de qua supra laudatus Dn. BÖHMER. cit. loc. §. 5. pluribus potest consuli; Ita econtrario liquido appetet: Toties Judicem impingere in ejus officium, quoties ejus actiones judiciales à tramite legum jurisve deflectunt.

## §. X.

Hocquę adeo verum esse dicitur: ut si ejusmodi Judex officii sui limites excedat, ac, omisso legitimo procedendi ordine, causaque cognitione, contra partem pronunciet, ipsique per ablationem rei, aut ejus possessionis, vel alterius cuiusdam juris damnum inferat, pro Spoliatore habeatur, cui, utpote instar privati, de facto procedenti, de facto non resisti solum impunè posfit, sed quoque hic ipse pessimè nota Judex parti læse & spoliatae, prater ablatae rei restitucionem, omne interesse damnumque illatum refundere ac refarcire debeat, Conf. omnino GAIL. L. 2. Observ. 76. per tot. nec non CARPZOV. L. 1. Resp. II. per tot.

## §. XI.

Cum itaque in talia, proh dolor! inciderimus tempora, ubi non raro Judges, officiorum suorum omnino immetores, vel ex iniuitate & dolo, vel ex negligentia, vel, ut in communī fere querela est, ex inexcusabili sape ignorantia & imperitia, tum in causis criminalibus, tum civilibus, ad Prædicamentum Spoliatorum referri mereantur; Hinc dignissimum

gnissimum hocce argumentum de **JUDICE SPOLIATORE**  
brevibus discutiendum mihi proposui.

§. XII.

Sicut autem conceptus Judicis Spoliatoris non simplex est, sed compositus; Ita generalem tam Judicis, quam Spoliatoris significatum hic præmittere omnino expediet. Judicem vocamus personam publicam, eum in finem publice constitutam, ut secundum jura, Acta & probata, adhibito legitimo procedendi ordine, lites illorum, qui ejus Jurisdictioni sunt subiecti, decidat. Malunt alii, ut HUBERUS ad pr. Inst. de Off. Judic. num. 1. Judicem per Virum Bonum describere, quod quidem nobis perinde, cum omnem Judicem & probitate & bonitate oporteat esse conspicuum, per l. 4. §. 1. ff. famil. hercisc. Publicam personam istum nominavimus, ut ab Arbitro eum distingvamus, qui non publica auctoritate, sed, privatâ partium electione, munere judicandi, fungitur, l. 13. §. 2. ff. de recept. qui arbitr. utut vel maxime, in sensu quodam improprio, & hic nomine Judicis veniat, ut a) l. 4. ff. famil. hercisc. b) l. 8. ff. qui satisd. cog. c) l. 16. & ult. C. de Judic. Hoc tamen est extra dubium: Arbitrum non præcise, ut Judicem, debere esse Virum bonum, cum parvi referat, utrum integrâ famâ quis sit arbiter, an ignominiosus, l. 7. pr. ff. de recept. qui arbitr. frustra hac de re dissentiente MORNACIO ad l. 27. ff. §. 2. eod.

§. XIII.

Per reliqua definitionis verba Officium potissimum Judicis designatur, quod in eo generatim consistit: 1) ut lites illorum, qui ejus jurisdictioni subiecti sunt, decidat; Inde fluit: Officio Judicis è diametro repugnare, arrogare sibi potestatem judicandi in res aut personas extra territorium & Jurisdictionis metam, huic enim Judici, ut privato, impune non pareri, est extra dubium. Multo vero minus ex eadem ratione de istis controversiis Jus dicere poterit, qua ipsum Summum concernunt Imperantem, DN. BÖHMER. *Introd. in J. P. Univ. part. spec. l. 2. Cap. 7. §. 15. in not.* utut non raro factum esse, ut boni Principes idem cum privatis forum elegerint, &

B

subie.

subierint, exemplis Tiberii & Trajani, idem DN. BÖHMERUS citato loco non solum demonstraverit; sed quoque ex ipsa Praxi constet: non raro Principes modernos à propriis Regiminibus & Dicasteriis in causis propriis, præviâ jura-menti, quo Principi obstricta sunt, relaxatione, judicium pa-ti ac decisionem.

#### §. XIV.

Deinde Officium Judicis 2) in eo consistit: Ut lites de-cidat a) secundum jura, b) Acta & probata, & quidem c) adhibito legitimo procedendi ordine, quæ singula à dicto Judicis officio in tantum censeri debent inseparabilia, ut uno alterove deficiente, tota decisio insanabilem ut plurimum incurrat nullitatem, de qua VANTIUS in *Tr. de Nullitat.* plu-ribus videri poterit. Imo si per fordes aliâve ratione Judex corruptus pronunciaverit, Syndicatus incurrit pœnam, par-tique lex ad omne interest tenetur, & quoque ex quasi de-licto actione in factum ad id condemnabitur, quanti reli-gioni judicantis æquum visum fuerit, STRUV. *Exerc. ad ff. L.* *ib. 87.* ibique MÜLLER. THYLL, in *Not. ad Gail. Observ. 26.* *L. 2. p. m. 303.*

#### §. XV.

Conceptum alterum, scilicet SPOLIATORIS, quod attinet, neminem sane latere poterit, de Jure Digestorum per istum intelligi: *Qui alterum de re quadam immobili violenter dejicit, l. i. ff. de vi & vi armat.* quod tamen Jure Codicis postea ad quamcunque iniquam, utut minime violentam, possessionis privationem fuit extensum, *l. f. C. unde vi.* Cum vero eadem quoque ratio in rebus incorporalibus obtinere videbatur, Interdictum Unde Vi quoque ad eorun-dem jurium quasi possessionem, & in specie ad Jura Eccle-siastica, quibus quis vel per vim, vel absque illa, inique tamen privatus est, de Jure Canonico est applicatum, ita ut SPOLIA-TUS dicatur: *Qui qualicunque rerum corporalium, vel incorpo-rialium, secularium vel ecclesiasticarum possessione vel quasi per injuriam fuit privatus.*

#### §. XVI.

## §. XVI.

Ex quibus facile constat: *Judicem Spoliatorem* hic nobis talem denotare: *qui de facto, inverso omnino ordine, procedens, uni vel utriusque parti litigantium rem, vel jus aliquod inique auffert, vel per alios aufferri curat, vel precipit.* Ex qua descriptione apparet: Rationem formalem Judicis Spoliatoris in eo confitente, partim ut procedat de facto & inverso omnino ordine, partim ut exinde parti res, vel jus, aut quipiam aliud, unde damnum accepit, inique sit ablatum, adeoque à Judice Attentante, ut species à genere differt, cum omnis Judex Attentans pro Spoliatore, sed non omnis Judex Spoliator pro Attentante statim haberi posfit. Vid. LANCELOT. de Attentat. E. III. Cap. 31. Judex enim, secundum allegatum LANCELOTUM in Praefatione, tunc demum attentare dicatur, quando, pendente lite, vel Appellatione in præjudicium partis aliquid innovat; CASPAR, ZIGLER. Praelect. ad Decret. iii. 3. p. m. 114. ad Voc. Attentatum; ut interea negari nequeat, apud Veteres JCtos, alias probatos Auctores Vocem Attentatorum plane fuisse incognitam, minimeque observatam; inter Pragmaticos tamen postea usu receptam, uti ex eadem Praefatione ROBERTI LANCELLOTTI probatum dedit DN. THOMASIUS in Not ad Lancellot. Inst. Jur. Casnon, p. m. 1647.

## §. XVII.

Deinde quoque ex eadem descriptione innotescit: Non statim Judicem ex eo, quod contra jura vel in thesi, vel in hypothesi pronunciaverit, partemque laeserit, pro Spoliatore habendum, nec jura spoli parti laesæ mox competere. Requiritur enim ad ejusmodi formale Judicis spolium: istum de facto, & inverso plane ordine processisse, partique rem vel jus, aut aliud quipiam abstulisse; Jam vero non statim sequitur: Quod Judex, qui contra jus in thesi vel hypothesi pronunciavit, præcise etiam via facti & inverso plane ordine inique processerit. Dissentit GAIL. L. 2. Observ. 76. num. II. cum PANORMITANO, DECIO & FELINO, quibus tamen ex modo dicto fundamento satis responderi poterit.

B 2

§. XIX.

## S. XIX.

Namque Judex tunc demum de facto & inverso ordine procedere dicitur: Quando vel omnino extrajudicialiter, vel judicialiter quidem, sed vel omissa causa cognitione, vel non sufficienter illâ institutâ, parte altera neque auditâ neque citatâ, aliquem e. gr. in prædia controversia immittit, vel ad unius partis instantiam alicui possessionem auffert, eo non citato, nec auditio. GAIL. L. 2. Observ. 76. num. 1. Nec sufficit, Judicem ex una parte seſe in causa informasse; Causa enim cognitionis, utpote qua potissimum in opponendo & replicando consistit, omnino deficere dicitur, si simul partis utriusque jura non exaudiantur. MENOCH. de Arb. Jud. Quest. L. 1. qu. 19. n. 4. CRAVETTA Conf. 505. num. 30. & 34. & adeo absque citatione vix expediti posse dicitur, apud LANCELOT. de Attent. P. 2. Cap. 20. in Prefat. num. 22. KLOK. Tom. II. Conf. 94. n. 41.

## S. XIX.

Casum, ut loquuntur, in terminis ejusmodi Spolii JUDICIS exhibit Pontifex in Cap. conquerente 7. X. de Restitutione Spoliatorum: Conquerente, inquit, nobis Renaldo Clerico accepimus, quod ipsum Ecclesia de VVæfort SINE JUDICIO SPOLIASTI. Quia vero jam non decet honestatem tuam, Clericos tuae Jurisdictionis SINE MANIFESTA CAUSA & RATIONABILI suis beneficiis spoliare, quibus teneris paterna provisione consulere: Mandamus, quatenus, si est ita, prædicto Clerico prefatam Ecclesiam cum redditibus inde percepis resituas. Restitutione autem factâ, si quid adversus eum super prescripta Ecclesia proponere volueris, coram Exon. Episco. po delegato à nobis, per te, vel per sufficientem Responsalem tuum, cum eodem R. ordine judicario poteris experiri.

## S. XX.

Ex hoc textu appetat: Centuariensem Episcopum, Renaldum Clericum ecclesiasticis disciplinis vacantem, sine judicio, h. e. omissâ omni causa cognitione, aut extrajudicialiter, propriâ & privata quasi auctoritate beneficio suo ecclesiastico spoliasse. De hoc itaque spolio, apud Pontificem spoliato conquerente, spolianti fuit rescriptum: Quod Archi-  
Episco-

Episcopus Spoliator beneficium illud ecclesiasticum cum & minibus redditibus perceptis spoliato restituere , econtra ipsi actio, si quam ad dictum beneficium habere putaverit, refervari debeat.

## §. XXI.

Celeberrimus quidem ZIGLERUS in *Præl. Decret. ad dict. text. non obstante*, quod ipse fateri debuerit : omnes plerosque explicare hocce capitulum de Judice , qui prætermis sojoris ordine spoliavit, hunc ipsum communem Doctorum consensum dubium redditurus , admittere noluit : Loqui illud de spolio Judicis; cum Archi-Episcopus in dicta facti specie , non qua Judex, sed sine Judicio , & plane ut Privatus, spoliasse dicatur. Sed , salvâ pace Viri hujus Clarissimi, contrarium asserere nullus dubito ; Integer enim hujus Capituli contextus ac circumstantia facti abunde testantur : Achi-Epicopum spoliasse quidem Clericum beneficio quodam ecclesiastico , quà Judex, sed, ut verba textus innuunt, sine Judicio , h. e. sine ordine in judiciis recepto , & absque causa cognitione, privatâ quasi auctoritate ; id quod eo distinctius exinde appetat: quod Pontifex expresse Jurisdictionis ibidem mentionem fecerit , cui Clericus spoliatus erat subiectus, in verbis : *Quia vero jam non decet honestatem tuam, Clericos TULÆ JURISDICTIONIS sine manifesta causa & rationabili suis spoliare beneficii.*

## §. XXII.

Hoc tamen oppido certum , quod citatus textus saltem de tali casu loquatur: quando Judex simul partis vices subit, & officio suo abutens ad proprium Interesse , inverso juris ordine , citra causâ cognitionem, fundum vel rem quandam occupat ; id quod ex verbis finalibus haud obscure colligitur , quibus Archi-Episcopus spoliator beneficium spoliatum restituere , & , restitutio facta , cum spoliato super ipso beneficio judicium ordinarium subire jubetur à Pontifice, quod fieri non opus fuisset, nisi Archi-Episcopus partis simul & Judicis vices sustinuissest , & hoc sensu quoque prælaudati B. ZIGLERİ explicatio forsitan salvari, atque egregie per se

quens præjudicium illustrari poterit, quod extat apud CARPOV. L. 1. Resp. II. Tit. 1. n. 16. Seyd ihr mit dem Richter des Orts wegen eines Stück Feldes / so ihr im Besitz gehabt / bemeldeter Richter aber solches für sein Eigenthum ausgegeben / in Streitigkeit gerathen / gestalt euch denn derselbe eurer Possess zu entzeken sich unterstanden / und benientes Stück Feldes eingenummen ; Daferne nun dasselbe extrajudicialiter ohne vorhergehenden rechtlichen Proces und Erklärunß / und also selbstthätiger Weise von ihm geschehen / das für sichs aus eurer Frage ansehen läßet ; So wäre er euch vor allen Dingen das Stück Feld wiederum abzutreten / und die Possess zu restituiren schuldig / und ehe und bevor solches geschehen / möget ihr euch mit ihm einzulassen nicht angehalten werden. V. R. W.

## §. XXIII.

Cum vero ratio citati textus generalis sit, nullum dubium est, quin ex ejus idenditate quoque ad illum casum applicari possit, quo Judex, citra proprium Interesse, inter partes litigantes, inverso ordine procedit, unamque citra causæ cognitionem de possessione sua deturbat, & spoliat; Idque late probat CARPOV. cit. Resp. II. n. 6. cum celerimis ibidem allegatis Doctoribus Pragmaticis. Imo hoc adeo verum esse, ex Cap. in literis 5. X. de Reslit. spoliat. asserit GAI-LIUS Lib. II. Obs. 76. n. 8. ut nec in justus possessor seu prædo, absque legitima causæ cognitione, ex possessione sua à Judge exmitti possit, quod quoque late deduxit, & ex L. 6. §. 1. C. unde vi, & arg. l. 3. C. de duob. reis stipul. probatum dedit SCHWANMANN. de Different. Jur. Civ. & Camer. Diff. 51. n. 13. seqq. nec non CARPOV. L. 2. Resp. 101. n. 15. cum MEISCH. NERO Tom. III. Dec. Cam. Imper. 13. n. 142.

## §. XXIV.

Scrupulum hic nobis conciliant ERNESTUS COTH-MANNUS & ROLANDUS à VALLE, quorum ille Vol. II. Resp. LV. n. 136. seqq. hic vero Conf. 89. n. 36. Vol. statuit: Injustum possessorem, & multo magis prædonem, de facto omnino de possessione posse dejici; sed quemadmodum SCHWANMANN. cit. loc. n. 14. ipsorum argumentis jam tum

tum satisfecit; Ita hoc saltem remanet dubii, quod in nostro *Cap. 7. X. de Ref. spoliat.* Judici non absolute, sed propterea potius spoliatio beneficij ecclesiastici prohibita legatur, quod sine manifesta & rationabili causa Clericum isthōc spoliaverit, in verbis: *Quia vero jam non decet honestatem tuam, Clericos tue jurisdictionis SINE MANIFESTA CAUSA ET RATIONABILI suis beneficiis spoliare;* ex quo argumento à contrario sensu, in jure alias fortissimo, non incongrue concludendum videtur: quod notorio injustus possessio, seu prādo, ad minimum impune absque processus ordine, & causā cognitione, à Judice possit ejici, si certo constet, ipsi plane nullam, vel insufficientem competere defensionem, prout speciatim sentit **VINCENT. CAROC. TUDERTIN.** de *Ext. 125. n. 180.* sed ex supra allegatis textus verbis id neutrīquā sequi, ex eo apparet: quod Archiepiscopus non tam propterera, quod Clericum sine manifesta & rationabili causa beneficio privaverat, sed quod hoc sine prævia causa cognitione, adeoque extrajudicialiter fecerat, pro Spoliatore à Pontifice declaratus fuerit. Cum itaque hac ipsa ratio in notorio & manifesto Prædone quoque obtineat, Pontifex vero in *Cap. X. eod.* inter Prædonem manifestum & non manifestum non distingvat, sed generaliter Vim & Spolium ipsi quoque Prædoni illatum coerceat, asserere nullus dubito, quod Judex in prædone notorio, & aperte injusto possessore, quem citra causā cognitionem ex possessione ejicit, eodem modo, ac in prædone non aperto, spolium committat, adeoque jura & beneficia spoliatis indulta huic quoque competant.

## §. XXV.

Sed quid si Judex judicialiter quidem, servatoque iuris ordine, procererit, incompetens tamen sit, utrum is, qui ē possessione rei, vel juris cuiusdam ab ipso dejectus est, pro Spoliato haberi, & de Spolio experiri valeat? Affirmative quin cum **GAILIO** *cit. obs. n. 12.* respondeamus, nihil obstat, cum paria omnino sint, sententiam plane non esse latam, & in causa non cognitum; vel cognitum quidem & sen-

& sententiam latam, sed à Judice incompetente, per tot. tie,  
*C. si à non compet. jud.* cum non possit dici judicatum ab eo,  
qui Jurisdictione destituitur, *i. e. §. f. ff. ad SCt. Tertyll.*

## §. XXVI.

Ad remedia juris quod attinet, quæ, ejusmodi spoliatio per judicem, ad ipsius satisfactionem sunt indulta, pro Regula notandum: *Quod, cum perinde habeatur, ac si à privato spoliatus esset, GAIL. cit. Obs. 76. num. 2.* ipsi quoque eadem remedia, quæ contra privatum spoliatorem sunt indulta, competant. Inter quæ Interdictum: UNDE VI, primarium sibi locum vindicat.

## §. XXVII.

Sed circa idem remedium notabilis inter Jus Civile & Canonicum occurrit differentia. De jure enim Civili, & quidem Pandectarum, Interdictum Unde Vi præcise dejectionem violentiam de re immobili præsupponebat, prout ex *L. i. pr. & §§. seqq.* constat, quod tamen Jure Codicis, ad quamcumque iniquam possessionis privationem, fuit extensum, *L. 5. & ult. C. Unde Vi.* daturque solummodo contra spoliantem & dejicientem, mandantem, mandatarium, & ratihabentem, *cit. l. i. §. 12. 13. & 14.* sed tanquam actio mere personalis, LAUTERBACH. in *Comp. Jur. tit. de Vi & Vi armat.* neutiquam contra tertium possessorem. At Jus Canonicum, ejusmodi spolia magis magisque coercere intendens, prælaudatum Interdictum Recuperanda possessionis, contra tertium rei spoliata possessorum spolii conscientium in *Cap. 18. X. de Restitut. Spoliat.* non solum extendit, sed quoque illud pro in Rem scripto postea declaratum, & contra tertium rei tam mobilis, quam immobilis possessorum, sive spolii conscientium, sive non conscientium, occasione *Canon. Redintegranda. 3. c. 3. qu. 1.* mira fane, & contra literam & sensum dicti Canonis factâ interpretatione, fuit extensum, adeo ut omnes fere Doctores Pragmatici credere non dubitaverint: Tam ex supra citato *cap. sepe. 18. X. de Restitut. Spoliat.* quam ex *Can. Redintegranda,* novum plane spoliatis suppeditari remedium, quod vel **IMPLORATIO OFFICII JUDICIS,**

656.

32 (17) 32

DICIS, vel CONDICTIO EX CAPITULO vel CANONE  
nominandum esset, quem quoque errorem Pragmaticum er-  
ravit MEVIUS Part. II. Dec. 383.

S. XXIX.

Utut autem horum argumentis egregie & solide cum  
ZIGLERO ad Can. Redintegranda, §. 8. & 11. p. 184. & 185.  
satisfecerit D.N. BÖHMER. in Juri ecclesiast. L. 2. Tit. 13. §. 6.  
seqq. & abunde demonstraverit, frustra omnino ex prælau-  
dato Cap. 18. X. de Reslit. spoliat. & Can. Redintegranda nova re-  
media Juris, puta Implorationem Officii Judicis, vel Condi-  
tionem ex Can. exstribui, cum idem Interdictum Unde Vi,  
in suo vigore remanserit, & à Pontifice INNOCENTIO III.  
contra tertium spolii consciūm possessorem fātem extensūm,  
in Can. Redintegranda vero contra cap. 18. X. de Reslit. spoliat. ni-  
hil penitus novi introducūtum fuerit; Nullum tamen super-  
est dubium, quin prædicta Pragmaticorum opinio in Praxi  
prævaleat, adeoque iste, qui per Judicem spoliatus est, ex  
Canone Redintegranda vel contra ipsum Judicem, vel ter-  
tium rei spoliatae possessorem ad hoc experiri possit, ut res  
spoliata cum fructibus perceptis & percipiendis ante omnia  
restituatur, Cap. 5. & 7. X. de Reslit. Spoliat. ibique ZIGLER.  
p. m. 212, qui sub Nota II. ex TIRAVELLO de Judic. in  
rebus exiguis f. 90. §. 34. afferit: neque audiri debere ejusmo-  
di spoliatorem, si unicus tantum denarius desit.

S. XXIX.

Sicut autem illud, quod de restitutione fructuum tam  
perceptorum, quam percipiendorum dictum est, de ipso  
Spoliatore, vel tertio possessore spolii conscio, est intelli-  
gendum; Ita bona fidei possessorem illos solum fructus re-  
stituere teneri, quos à tempore litis mota percepit, docent  
LUDOV. POSTIUS de Subbast. Inspect. ss. n. 92, & AN-  
TONIUS THESAURUS Dec. 29.

C

S. XXX.

## §. XXX.

Cum vero ejusmodi rei spoliatae restitutio ANTE OMNIA fieri oporteat, consequens est, ut nullâ omnino exceptione Reus conventus regulariter se tueri valeat; quod pluribus explicat GABRIEL. L. V. Concl. i. de Restit. Spol. n. 1. seqq. Hinc nec exceptione Jussus Judicis, cuius vigore reus rem spoliatam occupasse asserit, hîc admittenda est, cum Judex, extrajudicialiter procedendo, non ut Judex, sed ut privatus, processisse videatur. CARPZOV. L. I. Resp. 2. n. 13. quod quidem obtinet in illo casu, ubi Judex simul vices partis sustinuit, & rem ipse occupavit, qui casus in dicto Responso apud CARPZOVIUM præsupponitur; vel si quidem Judex rem ipse non occupavit, notorie tamen constet, vel in continenti probari possit: Istum absque ulla causa cognitione de facto processisse; Confer. quoque idem CARPZOV. Resp. 101. n. 14. seqq. DE LYNKER de Gravam. Extrajudic. p. 842, quod secus est, si Judex, ut talis, inter partes inverso quidem ordine, pronunciavit, unique possessionem de facto ademit, sed de hoc adeo notorie non constat, nec in continenti probari potest; Hoc enim casu, rem spoliatam ante omnia non restituendam, sed prius factum Judicis, utrum juste vel injuste processerit, examinandum, hōcque demum factio, restitutionem faciendam esse, communis fere tradit Doctorum sententia. Hocque sensu vulgarem illam distinctionem: inter spoliatum à Judice, & spoliatum à Privato, accipiendam esse existimo, de qua videatur Idem CARPZOV. cit. Resp. II. cum CRAVETTA Conf. 302. n. 4. ME NOCHIO Recuper. Possess. Remed. 8. n. 27. & MATH. COLE RO in cap. 5. X. de Restit. Spoliat. n. 64. seqq.

## §. XXXI.

Sed quid si Judex Spoliator, vel Tertius rei spoliatae possessio, in Jussu seu Mandato Summi Principis se fundet? Certe KLOK, Tom. II. Conf. XII. n. 61. 62. 63. ejusmodi spoliatum

B 57.

¶ (19) ¶

tum neutquam in possessionem restituendum esse , ex eo  
affirmat : partim , quod in Principe semper præsumatur ju-  
stitia causa , per ea quæ tradunt PETR. ANT. DE PETRA  
de Jure quæstio non tollendo , cap. 6. n. 105. p. 134. LANCE-  
LOT. de Attent. P. 2. C. 4. in prefat. n. 4. 19. & seqq. & Cap. 12.  
limit. 52. n. 10. cum pluribus aliis ; partim , quod ipse Prin-  
ceps beneficium Restitutorum spoliatis indultum omnino  
possit tollere , juxta CEPHAL. Consil. 103. n. 24. & FLAM.  
DE RUBEIS Consil. 31. n. 84. Vol. I. Sed huic KLOKII sen-  
tentia omnino contrarius est GAILIUS cit. Obs. 76. L. 2. n. 9.  
seqq. qui , nec auctoritate quidem Rescripti Principis , licere  
occupare possessionem , altera parte non auditam , afferit ,  
quia ejusmodi Rescripta intelliguntur esse sub- & obreptitia ,  
quia ita generaliter sint intelligenda , ut nemini faciant inju-  
riam , Principisque intentio semper talis esse præsumatur , qua-  
lis est Legum candor , & rationis naturalis integritas .

### §. XXXII.

Ad Decisionem hujus quæstionis accurata circumstan-  
tiarum casuumque separatio multum lucis afferet . Potest  
enim quæstio de Imperatore in ordine ad Status , vel de Im-  
periis Statibus alijsve Principibus in ordine ad eorum subdi-  
tios dirigi , utrum scilicet Status ab Imperatore , vel subditi  
a Statibus Imperii , vel alijs Principibus , sine causa cogni-  
tione , è possessione rerum vel Jurium suorum inverso ordi-  
ne ejici & privari possint ? Quod utrumque quidem regulari-  
ter negandum putamus . Constat enim , Imperatoriam  
Majestatem , vi Capitulationis , promisisse , se in prejudici-  
um Electorum , Principum , Statuum , nec non immediato-  
rum Nobilium Imperii , nihil viâ facti suscepituram , sed viâ  
Juris conservâ , coram judiciis ad hoc constitutis , processu-  
ram . Et wolle sie nicht selbst vergewaltigen / solches auch nicht  
schaffen / noch andern zu thun verhängen . CAPITUL. LEO-  
POLDINA Art. 15. CAPITUL. JOSEPH. Art. 14. Deinde  
quoque Legibus Imperii fundamentalibus expresse sese pro-  
fitetur

C 2



fitetur adstrictam, & promisit, quod omnia Rescripta, Mandata pariter & Commissiones, quæ contra istas imperata fuerunt, ipso jure nulla & cassata esse debeant, juxta CAPITUL. FERDINAND. §. 30. ibi: was vorgeneldeten Articuln zuwidder/ das soll alles Kraftt. los/ tott und absyn/ immassen wir es hiermit cassiren / iwdten und abthun. Confer. supra allegata CAPITUL. JOSEPH. §. 37. in fin. & LIMNAEUS ad Auream Bullam Cap. 5. §. 3. Obs. 5. & Obs. 10.

## S. XXXIII.

Unde prono fluit alveo, quod, quoties Imperator per Judicium Aulicum, vel Cameram, quæ Judex, vel, nullo servato Juris ordine, fine causæ cognitione aliquid decernit, vel alias incompetenter procedit, & Statum possessione juriū vel rerum ejicit, toties ejectum omnino esse restituendum. Conf. TUSCH. Tom. IV. L. I. C. 41. WESENBECK. P. 2. Conf. 100. n. 16. FARINAC. qu. 32. n. 97. MARP. P. 2. C. 10. n. 104. Hincque evenit, ut Imperator, non obstantibus subditorum querelis, quod à Principe suo, operis omnino insolitis, Tributisvè, vel nimiè sævitia se gravatos dicant, Mandata Inhibitorialia, priusquam Principem ipsum audiverit, decernere planè nequeat, per §. 17. CAPIT. JOSEPH. ibi: Und diewein auch vorkommen/ daß in Sachen hoher Landes- Fürstlichen Obrigkeit und Regalien zu verschiedenen mahlen ad nudam instantiam subditorum, ehe und bevor Thur- Fürsten und Stände darüber gehörend gehobret/ mandata cum & sine clausula ertheilet worden; Als wollen wir versügen/ daß in solchen Fällen dem letzten Reichs- Abschied gemäß die interessirten Thur- Fürsten/ Fürsten und Stände vorhin vernommen werden/ bey dessen Hinterbleibung ihnen verstattet/ und zugelassen werden solle/ solchen Mandatis keine Partition zu leisten. Idem quoque obtinet, si in causa debiti, contractibus, aut aliis casibus, in quibus mandata sine clausula notorie locum non habent, illa tamen de facto decernantur; Hæc enim non impunè solum

solum Status spernere, & iisdem se opponere poterit, sed quoque, si de facto executioni mandata sint, pro Spoliato haberi, & cum omni causa restituи debet. BLUM. Proc. Cam. Tit. 34. num. 22. Notum enim est: in quatuor praeципue causis, de quibus videatur ORDINAT. CAMER. p. 2. Tit. 23. & RODINGER. Pandect. Camer. t. Tit. 12. num. 12. aliisque specialioribus casibus, quos enumeravit KNIPSCHILD. de J. & P. Civ. Imp. L. 2. Cap. 33. num. 147. mandata sine clausula recte saltem decerni. Confer. quoque RECESS. IMPER. de Anno 1654. §. 76. & 77. cum GAIL, Lib. t. Observ. 14. num. 1. & MEVIUS P. 6. Dec. 342.

## §. XXXIV.

Huc porro spectabunt casus, ubi Judicium Aulicum vel Camera omnino & notorie incompetenter contra Statum ejusque jura procedit, utut ceteroquin contra ordinem processus nihil committat, v. gr. si subditum medium ex Territorio Principis ad Judicium suum evocaverit, quod sane maximum Statui conciliat praejudicium, propter beneficium, quo gaudet, *de non evocando*.

## §. XXXV.

Principes Imperii ipsos quod attinet, hos pariter si cum propriis subditis negotium habent, non statim viа facti procedere, sed ipsos potius audire, & ubique viа juris procedere oportet, idque ad exemplum Augustissimi Imperatoris, qui sec. suprа allegatas Capitulationes а via facti contra Status abstinere sanctissime promisit. Hinc ad Cameram Imperii hoc casu Principem recurrere debere, statuant GAIL. Lib. t. Observ. 1. num. 18. cum MYNSINGERO Cent. 5. Observ. 1. num. 1. & utut non paucis in locis consuetudine revera sit introductum: Principes ipsos in causis contra subditos judicandi habere licentiam, ita ut subditos ad sua Dicaстeria evocent, & per Procuratores Fisci contra ipsos experiantur; neutiquam tamen in iis, in quibus subditi

diti Jus habent quæsitus, inverso omnino ordine, citra causæ cognitionem procedere possunt. Vid. ANT. PETR. DE PETRA de Jure queſto per Principem non tollendo, tract. integ.

## §. XXXVI.

Alia sane ratio est in illis sententiis, quæ ex absoluta potestatis plenitudine proficiscuntur, quas die Macht. Eprius che vulgo vocare solent. Hæc enim a supremo Judice, non attento processus ordine, pronunciari solent, ita tamen, ut tunc demum locum inveniant, quando diuturnum & scandalosum inter insignes personas litigium, ex quo res publica turbari potest, certo metuendum sit, de quibus vid. MÜLLER. *Disp. de Sententi. ex plenius. Potestat. project. C. 3. §. 2. GAIL. de Pace Public. L. 2. C. 17. n. 9. & 10.*

## §. XXXVII.

Porro quoque Principes in omnibus subditorum factis apertis, & notorio jure prohibitis, nullâvè ratione justificandis, citra consuetum juris ordinem, causæque cognitionem procedere, atque executionem decernere possunt; quod exemplo civitatis municipalis patescit, quæ jure monetandi per speciale privilegium sibi competente quovis modo abutitur. Hæc enim, citra ulteriorem causæ cognitionem & sententiam, jure hocce monetandi privari, ipsique moneta adulterina auferri potest. *Vid. §. 33. CAPITUL. IMP. JOSEPHI, in verbis: Und sich aller ihrer Münz-Gerechtigkeit ohne ferner Erkänninß verlustig gemacht.* Imo in omnibus istis casibus, quibus in Camera Mandata fine clausula decerni possunt, idem Principi licere in causis subditorum, valde probabile est.

## §. XXXIX.

Sed ut iterum ad spolia Judicis redeam, certe experientia testatur quotidiana, in nullis casibus tam frequenter ista commit-

B39

33 (23) 33

commiti , quam in causis Criminalibus . „Quid enim in  
„foris frequentius , quam quod Judices , teste CARPZO-  
„VIO , in Praxi Criminali P. III. qu. 1:6. n. u. segg. fint justo  
„duriores , ne dicam crudeliores , qui rigorotissime super  
„dorsum pauperum inculpatorum procedunt , & contra  
„omnes juris terminos , approbatos mores , ususque confue-  
„tudinarios , alios perdunt , alios maectant , alios mancos  
„reddunt , Legum sanctitatem violent , Carnificibus , non  
„Judicibus similes , qui hunc vel illum misellum hominem ,  
„ipsis suspectum , in carcerem detrudunt , & detrusum tor-  
„turz subjiciunt , nec prius inquirunt , an crimen perpetra-  
„tum sit , nec ne ? an veritas criminis aliter haberi possit ,  
„nec ne ? & an copia Indiciorum legitimorum data sit , nec  
„ne ? &c. Et utut interdum de indiciis , si Diis placet , fint  
„folliciti , non infreque tamen accidit , ut post capturam  
absque indiciis factam , illa demum undique conglomerent ,  
posteaque acta ad sententionandum transmittant. Certe si  
quilibet Judge iniquitate procedens titulo spoliatoris non indi-  
gnus , ejusmodi Judge Criminalis duplicatis hunc ipsum de-  
merebitur vicibus. Spoliat enim ejusmodi hominem mise-  
rum multo saepius per talen iniquam & intempestivam In-  
quisitionem atque torturam non tam bonis , quam quoque  
famâ , vita & sanguine , quo nihil carius , nihilque pretiosius  
existit unquam. Nullum itaque adest dubium , quin ejus-  
modi Justitia depravatores vel ob dolum , vel ob imperitiam  
ad resarcitionem omnis damni , omnisque interesse conve-  
niri , quid quod juxta ipsam Sanctionem Carolinam crimi-  
naliter pro re nata contra ipsos procedi possit.

S. XXXIX.

Coronidis loco vel duobus saltet verbis monendum  
puto , 1.) ejusmodi actionem de spolio contra Judicem , vel  
tertium intentatam per se non infamare , sed causam ejus ,  
testante CARPZOV. L. i. Resp. m. n. 3. adeo ut etiam citra fe-  
loniam contra Dominum Feudi intentari possit , WESEN  
BEC.




BEC. Part. 3. Conf. 118. MYNSING. Cent. 4. Obs. 91. Elegans hoc spectat præjudicium Facultatis Juridicæ Hallensis, Mens. Decembr. 1712, apud BÖHMER. Jur. Eccles. L. 2. Tit. 13. §. 3. 2.) Quod quidem Remedium ex Can. Redintegranda in puncto juris ultra annum durare non possit, exemplo Interdicti: Unde Vi, quod etiam annale saltem est; quod tamen de Praxi secus, illudque perpetuum esse, idem BÖHMERUS C. i. §. 13. docet, ac præjudicio ejusdem Facultatis confirmat.

T A N T U M!

---

Errata.


§. II. lin. 3. pro prabatum, leg. probatum. Ibid. pro reddit, leg. reddi. Ibid. lin. 5. pro æquitatem, leg. æqualitatem. §. XVI. lin. 16. pro ut, leg. utut. §. XXIII. lin. 6. pro ceberrimis, legatur: celeberrimis.



Erfurt, Diss.) 1718







B.I.G.

1718, 8a  
22  
R 77  
10

Quod DEUS felix faustumque esse jubeat!  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE  
**JUDICE SPOLIATORE,**

QVAM OCCASIONE

Cap. conquerente. 7. X. de Restitut. Spoliator.

IN PERANTIQA, QVÆ ERFFORDIÆ FLORET,  
UNIVERSITATE ELECTORALI,  
INDULTU AMPLISSIMI JCZORUM ORDINIS,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JOHANNIS HENRICI  
MEIERI,**

JCTI,

ET ELECTORAT. HUJATIS REGIM. CONSILIARII, JUDICII PROVINCIAL  
ASSESSORIS PRIMARI, PROFESSOR. PUBL. DECRETALIUM, NEG NON  
FACULT. JURID. SENIORIS ET P.T. DECANI,

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES, PRIVILEGIA  
ET IMMUNITATES CONSEQUENDI,

In Auditorio JCtorum Majore,

Horis consuetis,

D. XIIIX. MART. A. O. R. M DCC XIIX.

PUBLICÆ PLACIDÆ QVÆ ERUDITORUM CENSURÆ  
Submitte:

**ANTONIUS Brühm / LANGEBRUCK. MISNIC.**  
Advoc. Immatr. Dresd.

**ERFFORDIÆ,**  
Stanno JOHANNIS HENRICI GROSCHII,  
Academiæ Typographi.